

sum. Quia Deum justis præmia, injustis poenas destinasse ex ejus sapientia constat: Et quæ destinavit perfecturam omnipotentia ratio evincit. Existencia igitur Entis alicujus sapientissimi & potentissimi, seu Dei, est Juris Naturæ fundamentum ultimum, quæ à nobis Mathematica certitudine demonstrata, cum prodibit in publicum, disjectura est penitus nebulas ab Atheis veritati offusas.

§. 75. Alter Jurisconsulti in casibus decidendis oculus est *Nomothesia*, cujus principium utilitas Reipublicæ, quæ ita est ad Rempublicam, uti pietas ad mundum & Rempublicam universalem. De *Nomothesia* præclare disseruere *Hopperus* in *Seduardo*, *Conringius* tum in præfatione *Hopperi*, tum in *Civili Prudentia & Propolitico*. Consistit autem salus populi, suprema Reipublicæ Lex, in bono ipsorum civium tanquam materie, & conservatione Regiminis tanquam formæ. Nam & *Lipsius* duo ait inspicienda;

G

cienda;